

viri erudit oculis dignus: ni fallor; aliquando unica aliorum commemorata hypothesis etiam philosophica te deducet ad sententiarum multarum, quas tenet, cognitionem. Unde ego nullus dubito, quin historia philosophica, & ad ineunda sermonum exordia, & ad nectendas periodos, & ad expiscandas aliorum sententias multum professe queat. Imo indecorum saltem est eruditionem profiteri, & tamen non posse cum unoquoque eruditorum, si ferat occasio, ipsi accommodatos inire sermones: ut enim displicet, si quis coram sexu muliebri, & hominibus non eruditis de causa materiali & formali, de Homero, Platone vel de algebraicis loquatur inventis; ita non minus ridebitur, qui assolet ex erudito annonæ caritatem percontari, de linteis differere, canum numerare passus, aut lippis atque tonsoribus usitato more serenum cœlum mirari.\* Hæc qui evitare voluerit, satis adminiculorum reperire poterit in disciplinis, quæ reliquarum instrumenta sunt, speciatim historia philosophica. Hac, ut & reliqua re litteraria probe instructus, adeat bibliothecas, musea, tabernæ librarias & quæ sunt alia, eruditorum colloquiis aptata loca, & fructus sentiat ipse.

## §. VIII.

*De ejus u-* Sed leviora forte hæcce quibusdam videbuntur, in*su in ma-* primis iis, qui uni Musarum tanto adhærent affectu, ut renud. ad liquas omnes alto aut spernant supercilie, aut penitus *relevatio-* ignorent. Faciamus itaque, quod promisimus, ostendan*nem.* musque quam utilitatem ex studio historiæ philosophicæ sentire possint Theologiæ cultores. Primum, ut puto, theologi officium est, homines ad agnoscendam sacrarum litterarum divinitatem ducere, nisi forte quis velit barbarum quendam & ab omni rationis usu alienum, ἀλογον Paulus vocaret, christianismum comminisci. Unde theologi argumentis verosimilibus ex omnibus pene philoso-

phiæ

\* vid. Mr. de Bellegarde reflexions sur le ridicule de l' impolitesse, & de l' impertinence.